



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**DN. DVRANDI|| à Sancto Portiano, in Senten=||tias  
Theologicas Petri Lombardi|| Commentariorum libri||  
quatuor.||**

**Durandus <de Sancto Porciano>**

**Antverpiæ, 1567**

Quæstio secunda. Vtrum anima Christi fuerit compassibilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72607](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72607)



quod Christus præberet nobis perfectum exemplum merendi, sed meritum consistit non solum in operatione boni, sed in perpeffione mali, ergo Christus vtrumque exemplum merendi nobis præbere debuit, sed non potuit nobis præbere exemplum merendi in perpeffione mali, nisi assumpfisset corpus passibile subiacens defectibus pœnalis, ergo, &c. Et sic patet primum.

Tho. ar. 4. ad. 30. q. 1.

7. QVANTVM ad secundum dicendum est quod secundum Damasc. Christus solus assumpfit defectus naturales & passiones indetractabiles: dicuntur autem huiusmodi defectus naturales qui consequuntur toti speciem humanam nature sibi derelictæ, propter peccatum primorum parentum, sicut fames, sitis, mors & huiusmodi: detractabiles autem positiones dicuntur quæ perfectioni scientiæ & gratiæ non repugnant. Alios autem defectus qui toti nature non sunt communes, vt febris, lepra, cæcitas, & huiusmodi, vel qui repugnant perfectioni scientiæ & gratiæ, vt sunt ignorantia, & difficultas ad bonum, & pronitas ad malum, non assumpfit. Et huius ratio est sicut dictum fuit prius, Christus assumpfit naturam humanam ad satisfaciendum principaliter pro peccato quod totam naturam infectit. Satisfactio autem requirit pro materia passibilitate corporis sine qua nullum opus pœnale esset, sed pro principio requirit ex parte anime perfectionem scientiæ & gratiæ, quia nullum opus pœnale est satisfactorium, nisi per liberum arbitrium acceptetur. Ex hoc sic arguitur, deicit vt Christus humanam naturam omnino perfectam assumeret exceptis his defectibus qui requiruntur ad opus satisfactionis, sed tales defectus sunt soli illi qui vocantur naturales & indetractabiles passiones modo quo expositum est: defectus enim qui non consequuntur totam naturam, non requiruntur ad satisfaciendum pro tota natura, vel pro peccato communi toti nature: unde nec isti sunt pœna peccati originalis immediate. Defectus vero qui derogant perfectioni scientiæ & gratiæ magis impedirent satisfactionem, quam promouerent: ergo deicit vt Christus solum assumeret defectus naturales, & indetractabiles passiones, & sic patet secundum.

Tho. ar. 3.

8. QVANTVM ad tertium, scilicet an tales defectus fuerint contracti, an assumpti. Sciendum est quod contracti im portat quandam necessariam consequentiam vnus ad alterum: est enim contracti idem quod simul cum alio trahi: isti autem defectus sunt in nobis ex duplici causa, scilicet ex conditione nature secundum se, & ex peccato sicut ex causa remouente prohibens. Quia per peccatum priuata est natura originali iustitia, quæ prohibebat in nobis tales defectus esse: si ergo isti defectus comparantur ad naturam, siue ad suam causam per se, sic fuerunt in Christo consequentes ad naturam ex necessitate. Quia secundum Damasc. vt infra dicitur, diuinitas permittebat carni agere & pati quæ erant propria. Et ideo quum tales defectus sequantur ad naturam de necessitate, nisi prohibebatur altiori virtute, consequens est, quod in Christo fuerit de necessitate hi defectus. Si autem comparantur ad causam remouentem prohibens, scilicet ad peccatum, cum in Christo non fuerint tales defectus ex peccato, quia peccatum non contraxit sicut nos, sic tales defectus non dicuntur a Christo contracti, sed voluntarie assumpti. Et quia in nobis sunt isti defectus ex vtraque causa, in Christo autem solum ex altera: idcirco dicuntur a nobis contracti, non autem a Christo.

9. AD primum arg. dicitur quod pœna non debetur nisi culpe, sed quando pœnam sustinet, qui culpam non commisit in quantum pro eo qui peccauit voluntarie satisfaciunt. Et sic deicit vt Christus, qui pro tota natura satisfaciere volebat, defectus pœnales assumeret.

10. AD secundum dicendum quod defectus assumpti a Christo non impediebant fidem in carnationis, sed potius promouebant in quantum declarabant veritatem assumptæ humanitatis, nam etsi per huiusmodi defectus, quasi latebat & obumbrabatur deitas, declarabatur tamen per miracula. Quod autem dicitur de desiderio antiquorum patrum, dicendum est quod antiqui Patres non desiderabant in Christo fortitudinem corporalem, sed spirituales, per quam & diabolus vicit.

11. AD primum arg. alterius partis dicendum quod Christus debuit assimilari fratribus in omnibus illis quæ dignitatem eius non dedecent, & requiruntur ad opus redemptionis nostræ. Defectus autem qui derogant perfe-

ctioni scientiæ & gratiæ dignitatem Christi non decent. Defectus particulares etiam vt cæcitas & huiusmodi non requiruntur ad opus satisfactionis, & integritati nature repugnant, propter quod non debuerunt assumi.

12. AD aliud dicendum quod carabile dicitur aliquid dupliciter. Vno modo vt subiectum curationis. Alio modo vt terminus. Primo modo dicitur animal curabile vel incurabile. Secundo modo morbus. Et similiter est in spiritualibus. Cum ergo dicit Damasc. quod illud quod in se sumptibile est, incurabile est, accipit incurabile, pro subiecto, non autem pro termino, vt pro morbo vel defectu. Et ideo ratio solum concludit quod natura quæ non est assumptibilis non est curabilis, non autem defectus. Vel potest dici quod defectus particulares supponunt defectus naturales. Et ideo illis amotis curantur particulares defectus, propter quod sufficit quod Christus naturales defectus nature assumeret, vt a consimilibus nos curaret, & per consequens ab omnibus.

QUESTIO SECUNDA.

Vtrum anima Christi fuerit passibilis.

Tho. 1. q. 15. ar. 4.

Secundo queritur de defectibus anime. Et primo in generali, vtrum anima Christi fuerit passibilis. Et videtur quod non, quia sicut se habet gloria corporis ad corpus, ita gloria anime ad animam, sed corpus Christi statim vt fuit glorificatum fuit impassibile: ergo anima Christi cum a principio fuerit beata, videtur quod ex tunc fuerit impassibilis.

2. Item foris est agere, alterius vero potentie, scilicet materie est pati, sed anima forma est, nec habet materiam partem sui, ergo non videtur quod fuerit passibilis.

3. IN contrarium est quod dicit Damasc. quod anima a corpore incisa dolet, & compatitur corpori. Sed anima Christi coniuncta fuit corpori incensibili, & quandoque incisa siue diuiso per clauos, ergo tunc dolebat.

4. RESPONSIO Circa questionem istam primum distinguendum est de passione. Deinde respondendum est ad questionem.

5. QVANTVM ad primum sciendum quod duplex est passio, vna naturalis, alia vero animalis. Passio naturalis seu corporalis dicitur tripliciter. Vno modo quæcumque alteratio per quam in subiecto aliquid recipitur.

2. Alio modo dicitur passio alteratio, per quam aliquid recipitur in subiecto, & aliquid ab ipso abicitur. Tertio modo dicitur illa sola alteratio, per quam a subiecto forma conueniens abicitur, & disconueniens introducitur. Primo modo sumitur passio valde large, secundum enim illum modum luna patitur cum lumen recipit. Secundo modo sumitur passio minus large, quando scilicet aliquid abicitur. Tertio modo sumitur stricte & proprie, quando scilicet conueniens forma abicitur, & disconueniens introducitur, & non e conuerso. Non enim dicitur proprie pati qui sanatur, sed qui ægrotat. Passio animalis nihil aliud est quam motus anime secundum appetitum conuersus ex apprehensione passionis naturalis & corporalis. Et sicut inter passiones naturales & corporales magis proprie dicitur passio alteratio, secundum quam forma disconueniens acquiritur, quam illa per quam acquiritur conueniens, sic inter passiones anime magis proprie dicitur passio motus appetitus sequens apprehensionem passionis naturalis disconuenientis, quam sequens apprehensionem passionis naturalis conuenientis: unde magis proprie dicitur pati qui dolet vel tristatur, quam qui gaudet & delectatur. De tali autem passione procedit potissimum questio, quia constat quod passio naturalis & corporalis fuit in Christo, quæ etiam mortem induxit.

6. HOC supposito dicenda sunt tria ad questionem. Primum est, quod in Christo fuit vera passio, prout dicit motum appetitus sensitui. Secundum est, quod fuit alter talis passio, quæ in nobis. Tertium est, quod in Christo fuit passio, prout dicit motum voluntatis. Primum patet dupliciter. Primum sic, vbi dicitur est vera passio corporalis percepta per sensum & motum appetitus sensitui secundum conditionem apprehensionis, ibi est vera passio animalis, sed in Christo fuit vera passio corporalis percepta per sensum & motum appetitus sensitui secundum ordinem apprehensionis: ergo in Christo fuit passio animalis. Maior patet ex notificatione

4. 44. q. 4.



tionem passionis prius posita. Minor similiter patet. Cōstat enim quod in Christo fuit vera passio corporalis abiciens illud quod erat conueniens naturae corporis, sicut fuit diuino carnis per clauos, quae soluebat continuitate partium corporis, nec dubium quin Christus hanc senserit cum assum perierit animam perfectam secundum omnes vires suas naturales. Ad hanc autem apprehensionem necessario sequebatur, quantum est ex cursu naturae motus appetitus sensitiui secundum conuenientiam apprehensionis, scilicet secundum rem, siue ad illud quod erat apprehensum, ut nocium & malum, quare, &c. Secundo patet idem sic, dolor, tristitia, timor & ira sunt vere passiones, sed in Christo fuerunt haec omnia, quare &c. Maior de se patet. Minor probatur quantum ad singula membra ibi contenta. Primo de dolore, per illud quod habetur Esa. 53, vere languores nostros ipse tulit. Et dolores nostros ipse portauit. Et per rationem patet, quia dolor sensibilis causatur proprie ex percipiēde eius quod laedit temperamentum corporis. Et haec perceptio est per se loquum tactum, qui inter alios sensus est discretiuus eorum, quae concurrunt ad temperamentum corporis, Constat autem quod in Christo fuit aliquod legitimum temperamentum corporis, quia percipiebatur per tactum qui fuit in Christo semper animus, ergo sequebatur ad hoc verus dolor: similiter de tristitia patet per illud quod habetur Mat. 26, Tristis est anima mea usque ad mortem. Et per rationem, quia si quis dolor causatur ex laesione sensus tactus percepta, Sic tristitia causatur ex nocuo naturali, seu ex malo apprehenso per imaginationem, vel aliquam virtutem interiorē: sed talis apprehensio fuit in Christo, frequenter enim fuit imaginatus mortem antequam pateretur, ergo fuit in eo vera tristitia. De timore etiam patet per illud quod habetur Mat. 13, Coepit pauere, & dolere. Et per rationem, quia sicut ex apprehensione mali praesentis causatur tristitia, sic timor ex apprehensione mali futuri, sed talis apprehensio fuit in Christo, ergo & talis timor. De ira patet similiter per illud quod habetur in Psalm. & applicatur Christo Ioan. 2, Zelus domus tuae comedit me. Zelus autem est species irae. Quum ira distingatur in iram per zelum, & iram per vitium. Et idem apparet per rationem sic, posita causa sufficiente ponitur effectus, sed tristitia est causa sufficiens irae. Ex tristitia enim alicui illata oritur appetitus repellendi vel vindicandi iniuriam factam. Quum ergo in Christo fuerit tristitia, ut dictum fuit, consequens est, ut in Christo fuerit ira. Et sic patet minor sequitur ergo conclusio, quod in Christo fuerit vera passio, quae est motus appetitus sensitiui: & sic patet primum.

¶ Q V A N T V M ad secundum dicendum est quod istae passiones fuerunt aliter in Christo, quam in nobis, quantum ad tria. Primo quantum ad obiectum, quia in nobis huiusmodi passiones frequenter tendunt in illicita, in Christo autem nunquam fuit sic. Secundo quantum ad principium, quia haec passiones frequenter praeueniunt in nobis iudicium rationis. Sed in Christo nullus motus appetitus sensitiui praeuenit iudicium rationis: propter quod in ipso huiusmodi passiones non fuerunt culpabiles: ira enim praeueniens iudicium rationis culpabilis est, & vocatur ira per vitium, secundum quam homo dicitur operari. Nam operatio attribuitur primo mouenti. Et de hac dicitur Iac. 1, quia ira viri iustitiam Dei non operatur. Et talis ira non fuit in Christo, ira autem sequens iudicium rationis, quae est appetitus vindictae, prout ratio indicauit, dicitur ira per zelum, & talis non est vitium, & fuit in Christo. Tertio fuerunt differenter passiones in Christo & in nobis quantum ad effectum, quia huiusmodi passiones quandoque in nobis non sistant in appetitu sensitiuo, sed redudant in rationem, ira, ut eam perturbent & eam retrahant quandoque a sua rectitudine: non sic autem fuit in Christo, quia huiusmodi motus ex diuina dispositione sic subsistebant intra limites appetitus sensitiui quod nullo modo impediatur, vel perturbabatur ratio ex eis, quin ageret ea quae conueniebant. Et ideo magis dicitur fuisse in Christo secundum passionem, quam secundum passionem, pro passio enim dicitur quasi inchoata passio. Sed passio absolute dicitur consummata passio & perfecta. Et quia vltima consummatio motuum appetitus sensitiui est prosecutio rei appetitae, quae non contingit nisi ratio per passionem abstrahatur a sua rectitudine, ideo in nobis ubi hoc accidit, tales motus dicuntur passiones:

& hoc inueniat scriptura dicens, quod coepit contristari & moriturus esse. Vbi dicit Hieron. quod dominus nosset ut veritatem probaret assumpti hominis, vere quidem contristatus est, sed ne passio in illius dominaretur animo per passionem, dicitur quod coepit contristari, ut passio perfecta intelligatur, quando animo, id est, rationi dominatur: pro passio autem est quasi inchoata in appetitu sensitiuo, sed ulterius non procedit, & sic patet secundum.

¶ T E R T I V M patet, scilicet quod in Christo fuerit passio, prout dicit motum voluntatis, quia sicut ex apprehensione disconuenientis secundum sensum causatur motus appetitus sensitiui secundum conditionem apprehensionis, ira ex apprehensione disconuenientis per intellectum causatur motus voluntatis secundum conditionem apprehensionis, sed in Christo fuit apprehensio aliquorum disconuenientium, & quae iudicabantur talia secundum rationem: ergo in Christo fuit motus voluntatis secundum conditionem talis apprehensionis: motus autem voluntatis conueniens tali apprehensioni est motus displicentiae: ergo in Christo fuit talis displicentia, quae large potest dici passio. Maior de se patet, & minor declaratur, Christus enim per partem intellectum apprehendit aliquid quod disconuenientia sibi, puta mortem propriam, vel tribulationem discipulorum, & huiusmodi, quare &c.

¶ Qualiter autem potuerit in Christo esse nolle mori & velle mori, oblatum enim est, quia voluit, ut dicitur Esa. 53, Aduertenda est quod ratio potest ferri in aliquid dupliciter. Vno modo in se & absolute: alio modo in ordine ad aliquid quem finem. Primo modo accipitur ratio, ut natura, maxime cum considerat illud quod est nocuum, vel conueniens naturae secundum se. Secundo modo sumitur ratio, ut ratio in quantum iudicat de aliquo secundum relationem ad finem. Primo ergo modo, ratio in Christo iudicabat mortem esse sibi disconuenientem, sed secundo modo iudicabat eam esse conuenientem propter finem, scilicet propter salutem humanam. Et quia primus actus respectu secundum est imperfectus, & quasi secundum quid: vnde non est iudicium finale, sed conditionatum, sicut si dicerem iudico quod bibere medicinam amaram est malum secundum se, sed bibere eam propter sanitatem est bonum expediens, sic actus voluntatis sequens primum actum rationis est imperfectus, & secundum quid respectu secundum: vnde non est nolle simpliciter, sed secundum quid, & conditionatum. Vnde Christus conditionaliter dicit, ut habetur Mat. 26, Pater mihi, si possibile est transeat a me calix iste, addens. Veruntamen non sicut ego volo, sed sicut tu, loquens primo de voluntate naturali & conditionata: & subiungens voluntatem quae erat voluntas simpliciter & conformis voluntati diuinae. Vnde patet, quod haec voluntates compariebatur se in Christo nolle mori voluntate naturali, & velle mori voluntate deliberata.

¶ A D primum arg. dicendum quod tota anima Christi secundum omnes potentias non fuit a principio beata, sed solum secundum superiorem rationem, secundum rationem autem inferiorem, & secundum vires sensitiuas perturbabatur agere & pati ea quae erant eis propria, ut dicit Damasc. lib. 3, Cuius ratio est, quia ut dictum est supra, Christus assumpsit naturam nostram, ut in ea nos redimeret. Et ideo talem assumpsit, qualem oportuit esse ad finem nostrae redemptionis: & quia redemptio nostra fuit per modum satisfactionis, quae fit per opera penitentia, ideo oportuit quod non tota esset glorificata, sed pro parte passibilis.

¶ Ad secundum dicendum quod illud quod proprie patitur, vel agit passione, vel actione naturali est compositum, licet principium agendi sit magis forma & patientia materia loquendo de actione & passione naturali, sed loquendo de passione animali quae aliquo modo est actio, ratio patienti est magis anima quam corpus seu materia. Quia talis passio non est nisi motus appetitus sequens apprehensionem nocui, & de tali passione hic modo loquimur.

Q V A E S T I O T E R T I A.

Verum dolor passionis Christi fuerit maior omnibus doloribus.

Tho. 3. q. 46. art. 6. q. 3.

Tertio quaeritur, verum dolor passionis Christi fuerit maior omnibus aliis doloribus. Et videtur quod non, quia in his quae Christi sunt nihil fuit superfluum, virtus

Inf. d. 16. q. 20

Inf. d. 17. q. 1